Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partitum Semitas seu partes, & Fasciculum Myrrhæ

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Dubium 13. Qua forma, quibusque verbis Pilatus mortis pronunciarit sententiam contra Christum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49363

Visual Library

mitanæ: vndè inuentu faciles, iunci verò marini difficiles repertu erant, cùm Mare longè diſtet ab Jeroſolymis. Tertiò, quia quotieſcunque ſanctæ ſpinæ miraculosè floruêre, proprios naturalesque ſpinarum progerminârunt flores, vbi è contra iunci marini nullos flores proferunt. De ſpinis hiſce S. Hieronymus ſermonem inſtituens inquit: *Eſt ſpinarum genus aſperrimum aculeis, & floribus gratiſſimum: vndè iuſtis floret ad ornatum, peccatoribus autem præbet ſpinas ad cruciatum.*

S. Hieron.

Spinarum harum tormentum grauiſſimum fuit & intenſiſſimum; ſiquidem non pellem duntaxat & carnem; ſed teſte D. Bernardo, ipſum etiam ós cranii ad cerebrum vſque penetrârunt. Nonnulli volunt, binâ vice hoc tormentum renouatum fuiſſe: ſemel in flagellatione, & ſemel ante crucifixionem, quando veſte inconſutili indutus exutusque fuit: cùm enim veſtis illa ſuperius admodùm ſtricta & anguſta eſſet, ſacrum Chriſti verticem coronâ ſpineâ cinctum, contectumque non capiebat: vndè eam deponerent, reponerentque Judæi, oportebat, ſicque non tantùm priſtinas renouarunt; ſed & nouas recentesque ſuperinduxêre plagas.

Quantùm ad numerum plagarum, quas ſpinæ illæ venerando Chriſti capiti impreſſerunt, earundem 72. extitiſſe reperio, quamuis alii ad ampliorem eas extendant numerum, velintque fuiſſe earum 300. Ad formam Coronæ quod attinet, S. Vincentius Ferrarius non ad modum circuli vult eam fuiſſe compoſitam, ſed ad modum pilei, qui totum caput tegebat & tangebat, ſimulac pungebat incredibili cum dolore.

Ex Reuelat. S. Franciſc. Romanæ.
S. Vincent. Ferrar. ſer. de Paſſ.

Dubium Decimum tertium.

Qua formâ, quibusque verbis Pilatus mortis pronunciarit ſententiam contra Chriſtum.

Refert Adrichomius in deſcriptione Terræ ſanctæ, in

antiquis regionis iſtius Annalibus huius formæ, verborumque tenoris ſequentis repertam fuiſſe ſententiam, ex illis fideliter excerptam:

IESVM Nazarenum, ſubuerſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (vt maiorem ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt) ducite ad communis ſupplicij locum, & cum ludibrio Regiæ maieſtatis in medio duorum Latronum cruci affigite. I, lictor, expedi cruces.

Dubium Decimum quintum.

Cur Chriſtus D. N. ſolùm guſtarit, non biberit vinum myrrhatum?

Reſpondeo, Chriſtum D. N. binâ vice potatum fuiſſe in Paſſione ſua: primâ vice vino myrrhato [à Iudæis in odium Chriſti] eoque felle permixto, quod dabatur ei ad obſtupefaciendos ſenſus, ne tales tantosq; perſentiret
Prov. c. 31. dolores: *Date ſiceram mœrentibus.* Vtriusq; mentionem
Marc. 15. faciunt Euangeliſtæ: *Dabant ei bibere myrrhatum vi-*
Matth. 27. *num,* inquit Euangeliſta vnus; alter: *Dederunt ei bibere vinum cum felle miſtum.* Hoc vinum myrrhatum, ac ſimul cum felle commixtum ſolùm guſtauit Chriſtus, non bibit: voluit namque fellis guſtare duntaxat amaritudinem, ſeque vini myrrhati priuare refocillatione. Quamuis duas diſtinctas vini ſpecies vaſculis diſtinctis exhibitas contendant Baronius, & Chriſto tenuenti vinum
Anno 34. myrrhatum, aliud vinum felle permiſtum à Iudæis porrectum fuiſſe velit. Verùm, vnicum ſolum adfuiſſe vinum communis ſententia eſt. Eo verò tempore, vt nonnulli referunt, Chriſto Saluatori noſtro vinum hoc guſtandum exhibitum fuit, poſtquam conſcendiſſet Montem Cal-
Andrichom in deſcript. Terræ ſanctæ. uariæ, & quando iam parabantur Cruces: *Nudus namque vulneribus, vento & frigori expoſitus, ſuper lapidem ſedens, vino myrrhato, felle miſto potatus eſt.*

Alterâ vice Chriſtus potatus fuit in Cruce, quando dixit: *Sitio*, eoque tempore ſpongiam aceto plenam ori eius appoſuere. Hoc aceti vaſculum comportari ſolebat ad refocillandos reficiendosque eos omnes, quicunque in via deficiebant.

Do-